



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

VII. Quàm sit antiquum in Ecclesia, vt religiosi nullum habeant proprium,
vel quo iure, aut tempore votum solenne introductum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

includere videtur specialem habitudinem ad propriam religionem, atque adeo virtute continere votum non furandi aliquid, vt proprium ex bonis ipsius religionis. Hoc tamen non est ita constans, quin valde probabile sit etiam in religioso posse esse acceptionem grauius iniuriolam ratione nocuentis, & non ratione proprietatis, vt facile ex dictis intelligitur.

Vltimo ex dictis intelligitur, seclusa proprietate, & dominio, vix posse inueniri alium modum violandi paupertatem priuam, & simpliciter promissam. Declaratur, quia religiosus non solum peccat contra paupertatem acquirendo, vel retinendo aliquid vltimum, sed etiam dando aliquid sine licentia prælati ex bonis, quibus alias ipse licite vti potest; vel etiam peccat si ad proprium vsum aliquid habeat sine licentia prælati, vel independenter à voluntate illius; neuter autem peccandi modus habet in præsentem locum, quia hoc votum simplex paupertatis per se non respicit superiorem aliquem, cuius licentia ad huiusmodi rerum vltimum necessaria sit. Potest ergo, qui huiusmodi votum habet, recipere quæ sibi donantur sine alicuius licentia, dummodo ad suum vltimum, non ad proprietatem recipiat, & quia hic vltimus non est etiam limitatus, ex vi voti paupertatis vt sic (nisi alia fuerit specialis intentio votantis) potest, quæ ad proprium vltimum habuerit, aliis donare, non tanquam dominus, sed tanquam dispensator, qui quantum ad hoc voluntati alterius strictius non est, vel certe quia permittit alteri vt dominium illius rei accipiat, quæ sub alterius dominio non erant, cum enim ipse non sit dominus, non tam ipse dat dominium, quam permittit, vt alter accipiat, cedendo ad illud qualecunque ius, quod ratione actualis retentionis habebat, ne ipso inuito res possit ab alio occupari.

Actandem hinc notari potest alia differentia inter hanc personam, & religiosum in modo habendi proprium; nam religiosus non solum quando hoc directe, & explicitè intendit, sed etiam quando factio ipsa se gerit inuito superiore, ac si esset dominus occulta retinendo, donando, &c. vt proprietarius delinquit, sicut infra videbimus. Priuatus autem habens simplex votum paupertatis non potest contra illud per proprietatem peccare, nisi directe intendat sibi acquirere dominium, quia alias potest sine facultate rem accipere ad vltimum, & eam occultè retinere, atque de illa disponere: ergo non est vnde colligamus voluntatem vitii proprietatis, nisi habeat latè expressam, & claram. Atque hoc colligi potest ex Nauarro comment. 1. de regular. num. 17. §. vigesimum secundum, ubi dicit votenti paupertatem satis esse negatiuè non velle proprium, vt non peccet, etiam si non habeat positiuam voluntatem non habendi proprium. Et alia multa sumi possunt ex eodem. 19. vique ad 23.

Denique inquirere potest aliquis, an qui tale votum emittit, peccet postea eo ipso, quod displiceat illi paupertas, ita vt nolle eam promississe, aut profiteri. Est hic specialis ratio dubitandi, quia per tale votum promittitur paupertas voluntaria, non coacta; nam illa prior sola est vitiosa, & in consilio, delinquit autem esse voluntaria eo ipso quod displiceat: ergo eo etiam ipso violatur votum. Dicendum nihilominus est, si illa displicentia solum sit per vellicitatem, & penitentiam imperfectam præteriti facti, non excludat autem absolutam voluntatem permanendi in paupertate, & carenti omni proprietate, & dominio, non peccari directe, & per se contra votum, quia nec ex generali ratione voti, neque ex speciali talis voti est ibi specialis malitia sacrilegii. Prior pars constat, quia licet quis doleat pro-

mississe, si tamen firmus perseverat in voluntate seruandi promissum, & debito tempore illud explet, non potest dici infidelis, licet minus liberalis esse videatur. Imo in eo quodammodo se magis fidelem ostendit, quod non obstante noua displicentia, aut difficultate, promissionem fideliter implet. Secunda pars probatur, quia non obstante illa displicentia paupertas absolutè, & simpliciter voluntariè seruatur; illa enim displicentia solum causat inuoluntarium secundum quid, & obiectiuè; voluntas autem efficax seruandi votum reddit paupertatem simpliciter voluntariam, non tantum obiectiuè, sed etiam effectiuè. Si autem displicentia paupertatis tanta esset, vt induceret voluntatem, seu desiderium habendi proprietatem, seu dominium rerum, iam tunc fieret directa voti transgressio. Cauendum est etiam, ne tanta sit paupertatis displicentia, vt ea occasione exponat se homo morali periculo, vel acceptandi dominium, vel accipiendi alienum: tunc enim indirectè committeret homo culpam, cuius periculo se exponit, iuxta illud, *Qui amat periculum, peribit in illo*: hoc autem periculum ex tali effectu proniciens vix potest moraliter cognosci. donec aliquo simili euentu, vel effectu manifestum sit.

Supererat hoc loco dicendum de dispensatione huius voti, veruntamen nihil habet speciale. Nam cum sit simplex, absque controversia dispensabile est ex iusta causa, quæ tam in hoc voto, quam in aliis ad valorem dispensationis necessaria est. Adde etiam Nauarro comment. 1. de regular. num. 21. quem nos etiam supra sequuti sumus, tale votum non solum à Papa, sed etiam ab Episcopo dispensabile esse, quia licet sit perpetuum, non est ex reseruatibus iure, vel consuetudine. Vnde fit, vt per priuilegia, quibus omnia vota non seruata committuntur, possit etiam vel dispensari, vel commutari, pro qualitate priuilegii, iuxta tenorem eius. Denique ex iisdem principiis constat posse hoc votum vel in toto, vel in parte dispensari iuxta exigentiam causæ, aut necessitatis: nam hoc etiam commune est omnibus votis, & nullam habet in præsentem specialem rationem difficultatis, aut exceptionis. Nam quæ diximus probant integram dispensationem esse possibilem, tam validam, quam licitam, multo autem facilius potest esse licita partialis dispensatio, qualis erit, si concedatur alicui, vt possit habere dominium vsque ad talem quantitatem, & non maiorem, vel talium rerum, v.g. mobilium, aut se mouentium, & non immobilium, quia facilius reperiri poterit sufficiens causa, quæ reddat iustam talem dispensationem, saltem propter tollenda pericula, dubitationes, aut scrupulos, quæ fortasse non esset sufficiens ad absolutam dispensationem iustam, quæ saltem requirere videtur, vel moralem aliquam necessitatem sumendi statum matrimonii pro quo est necessaria illa dispensatio, vel aliqua alia ratio pertinens, aut ad commune bonum, aut saltem ad commodum plurimorum sine præiudicio, vel discriminè propriæ salutis spiritualis.

CAPVT VII.

Quam sit antiquum in Ecclesia, vt Religiosi nullam habeant proprium, vel quo iure, aut tempore votum solemne introductum sit.

Quæ existimant omne dominium in particulari, vel capacitatem eius essentialiter repugnare statui religioso, & consequenter asserere debent, hoc genus paupertatis ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse à Religiosis iuris obseruatum, cum enim negare non possint à principio Ecclesiæ fuisse veros religiosos, negare etiam non poterunt, fuisse in eis omnia.

22. Difficult. cas. an. & a quo sit dispensabile hoc votum paupertatis simplicis.

1. Prima sententia affirmat à tempore Apostolorum inuenerit esse omnia.

mutua-
periculis.

omnia, quæ sunt de essentia status religiosi: si ergo paupertas, & votum eius excludens dicto modo proprietatem omnem priuam, est de essentia religiosi status; dicendum omnino est hanc seruasse & Apostolos, & omnes successores eorum in statu religioso. Non videtur autem hoc cæssum à Sanctorum Patrum traditione, qui proprietatem vbiq; derestantur tanquam religioni omnino contrariam; vt constat ex illo celebri exemplo, de Monacho proprietario, qui post mortem extra locum sacrum cum pecunia sepultus est, clamantibus monachis, *Pecunia tua tecum sit in perditione*; quod commemorat Innocent. III. in cap. *cum ad Monasterium*, de stat. Monachorum referens illud ex Gregor. IV. Dialogorum cap. 55. Sed est multo antiquius, nam de Anachoreta illud refert Hieronymus in Epistola ad Eustoch. de custodia Virginitatis, versus finem, & simile habetur nomine Augustini sermon. 4. ad fratres in Eremo, & inde sumpta videntur iura Ecclesiastica, in quibus poena imponitur religioso proprietario, si in eo statu moriatur, vt scilicet suffragiis, & sepultura Ecclesiastica priuetur, vt patet ex dicto cap. *Cum ad Monasterium*; & cap. *Mon ubi*, & cap. *super quodam*, eodem tit. Hinc etiam Basilius in sermone de Monach. exercit. seu de Asceti. *Monachum* (inquit) oportet nihil in vita quod iuris sui proprium sit possidere. Idem in Epistola ad Canonicos non longe à principio: idem serm. 2. de institut. Monach. vbi hanc paupertatem ponit tanquam fundamentum religionis, tum propter tollendam sollicitudinem temporalem rerum, quæ mentem maxime distrahit; tum etiam propter vnionem eorum, qui in Religione viuunt; quod mirum in modum exaggerat regula 8. ex fusioribus, & in regula 41. in fine habet hæc verba notanda, *Nam qui in eo semel animum obfirmavit, vt ne suarum quidem ipsius manuum esset dominus, & alterius arbitrio permittit dispensandum, quicquid possent efficere operis, quo pacto non à seipso videatur assentire se eorum, quæ ad arrium exercitationem necessaria sunt instrumentorum, possidet, vt ius penes sit, in ea que domini sibi auctoritatem vsurpet.* Erat eundem modum dixit S. Benedictus in sua regula cap. 58. *Monachum à die professionis nihil posse habere proprium, cum nec proprii corporis sui potestatem habiturus sit. Qui omnes Patres non vt nouam institutionem hanc tradunt, sed vt à suis etiam antecessoribus obseruata, quod etiam intelligere licet ex Seuero Sulpitio in vita D. Martini cap. 7. & apud Suriorum tom. 6. vbi de monasterio octoginta Monachorum, quod Martinus construxerat, ait, *Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur.* & ex Athanasio in exhortat. ad Monachos inter alia ait, nec præbendæ Eleemosynæ gratia aliquid habiturum Religiosum; & infra, *Quia non potest parum est, quod totum est. Neque quicquam amplius dedit, quam qui sibi nihil reuertit.* Plura sumere licet ex Cassiano lib. 4. de Institut. renun. Quibus omnibus antiquior fuit Urbanus I. qui anno Domini 224. floruit, & tamen in sua Epistola prima decretali monet, vt quicumque communem vitam susceptam habuit, & nouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat. Constat igitur hanc esse antiquissimam Ecclesiæ obseruationem, atque adeo ad statum religiosum fuisse semper necessariam.*

In contrarium autem esse videtur primo, quod libro 2. capite 12. dictum est, nullum fieri incapacem domini, ex solo proposito; aut voto voluntatis propriæ; imo neque ex vi alicuius pacti humani, nisi iuris Canonici auctoritas, seu Ecclesiæ institutio, & approbatio accedat; hoc autem ius non fuit ab initio Ecclesiæ, nec videtur multum anti-

quam; ergo neque illud genus paupertatis, quæ omnem proprietatem excludat, fuit semper in Ecclesiâ, & consequenter nec potest per se pertinere ad religiosum statum. Minor probatur primo, quia nullum sufficiens indicium talis iuris in tota antiquitate inuenitur, vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris, hoc est, vsque ad 530. annum Domini, quo tempore ipse edidit iura infra referenda; nam omnia, quæ adduximus de proprietate prohibita religiosi, ad summum probant prohibitionem, non incapacitatem, quæ longe diuersa est; vnde nec probant carentiam proprii domini, sed solum proprietatis vsus; vt videbimus.

Secundo tantum abest, vt habeamus sufficientia testimonia illius iuris, vel consuetudinis in antiquis Ecclesiæ temporibus, vt potius multa vestigia contrarii vsus ostendi possint. Primum est, quia olim erant multi religiosi solitariam vitam degentes, qui actu nulli proximo superiori specialiter erant subiecti, vt Paulus Eremita, & similes, quos veros religiosos fuisse sentit D. Thom. quaest. 186. art. 3. ad 3. & quaest. 188. artic. 8. ad 3. Illi ergo non poterunt talem paupertatem profiteri, quia non poterant non habere aliquas res necessarias ad victum, & vestitum, quarum dominium, quantumuis esse viles apud aliquem erat, non autem apud aliquam communitatem, vel prælatum, quia neutrum habebant: ergo apud ipsos. Vnde sine alicuius facultate poterant de eis disponere in quemlibet honestum vsum pro suo arbitrio. Secundum huic simile est de his, præsertim fœminis, quæ in priuatis domibus statum religiosum assuebant: hunc enim vsum aliquando fuisse, infra tractando de diuisione religionum ostendemus, & interim obseruari potest ex Concilio Elibertino can. 27. & Hieronymo Epistola 16. ad Principiam, & Epistola 44. & ex Gregor. lib. 3. dialog. capit. 14. & homil. 38. in Euangel. At vero in eo statu non poterant huiusmodi personæ non habere aliquid proprium vnde alerentur, vt iidem sancti eisdem locis indicant, quia non habebant communitatem, ad quam dominium suarum rerum pertineret, & omnino carere rebus omnibus non poterant; neque etiam alebantur communibus bonis Ecclesiæ: nam illa consuetudo non multum durauit.

Tertium indicium proprietatis, & domini est testamentum; at inuenimus olim Religiosos testamentum condidisse; nam de Antonio refert Athanasius in vita eius, sic bona sua legasse: *Vestimentorum meorum sit illa diuisio, melotem, & pallium tritum, cui suppetiaco, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat; Seraphion Episcopo aliam accipiat melotem, vos cilicium habetote vestimentum, & valere.* Et de Hilarione refert Hieronymus in vita eius in fine, *Cum absens esset Nestorius quasi testamenti vice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes suas diuitias ei relinquens, Euangelium scilicet, & tunicam saccam, cucullam, & pallium; nam ministrus eius ante paucos dies obierat, quasi illum potius relicturus hæredem esset, si vixisset.* Imo Valentinianus Imperator, qui anno Domini 369. & Martianus, qui anno 450. cœperunt imperare, legem statuerunt in fauorem testamenti legati, aut cuiuscunque dispositionis, & vltimæ voluntatis personæ religiosæ in pietatis opere, vt constat ex leg. general. Cod. de Sacros. Eccles. & similis constitutio refertur ex Theodosio, & Iustiniano Imperatoribus, in leg. *si quis presbyter.* Cod. de Episc. & Cleric. vbi etiam designatur quis debeat succedere clerico, aut monacho, aut mulieri, quæ solitarie vite dedita est, si nullo condito testamento decesserint, & (quod mirabilius est) prius dicitur vt succedant parentes, & cognati, & illis deficientibus Ecclesiâ, vel Monasterium

causis fuerat destinatus, vel destinata. Quibus locis Glossæ, & Doctores aduertunt in illis temporibus monachos habuisse proprium; quod etiam notat Salicetus in Authent. Nunc autem. Cod. de Episc. & Cleric. dicens per illam correptionem fuisse antiquum ius, quod permittebat monachis habere proprium. Sicetiam Augustinus sermone 1. de communi vita Clericorum, aliàs serm. 52. ad frat. in Erem. aliter, & melius serm. 49. de diuersis. ibi ergo cap. 2. refert Ianuarium quendam condidisse testamentum, & Ecclesiam heredem instituisse, & quamuis illum deploret, significans in ea re grauiter peccasse, non tamen negat testamentum fuisse validum, neque argentum testamento legatum verè fuisse Ianuarii; sed significat licet non potuisse illud retinere propter vitam communem, quam profitebatur: aut certè, quia cum dolo illud retinuit, & sine facultate de illo disposuit.

Quartum indicium est, posse institui heredem, vel succedere in bonis alterius: quod potest sumi ex Augustini loco proxime citato; nam refert Ianuarium illum duos filios reliquisse, masculum in Monasterio viroto, & fœminam in Monasterio Monialium; inter quos nihilominus de hereditate paterna erat contentio. Verum est, inde non colligi eos iam fuisse professos, imò dicitur non fuisse in ætate legitima. Pachomius etiam in sua regula cap. 81. præcipit, ne aliquis ex Monachis visitet Moniales, nisi qui habet inter eas propinquas consanguineas; & subdit, Si autem de ante conuersione, paterna vis debeat hereditas, mitterent cum his probate atatis virum, &c. vbi supponit paternam hereditatem potuisse debere monialibus. Et de Diuo Arsenio refertur in vita eius, quendam Senatorem eum instituisse heredem, & quamuis Arsenius noluerit hereditatem acceptare, tamen Senator supponebat, illum fuisse capacem; quod exemplum postea iterum commemorabimus.

Quintum indicium sumi potest ex exemplis antiquitatis. Nam ex Hieronymo in vita Hilarionis prope finem, intelligimus Antonium habuisse hortulum arboribus conlitum. *Videres senem (dicitur ibi) cum discipulis B. Antonii hic atque illic discurrere; hic atque ibi plallere, hic orare, hic operari, hic si uel sedere solitus erat, has vires, has arbutusculas ipse plantauit, illam autem manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandam hortulum multo sudore fabricatus est; istum sarcinum ad sudandam veri anni pluribus annis habuit; & infra, postquam autem ad hortulum venerant, videtur (inquit Isaac) hinc pomarium arbutusculas confisum, & oleribus virens, &c. & quamuis dici possit, hortulum non fuisse proprium Antonii, sed communem discipulorum, tamen cum Antonius Eremum prius multo tempore habitauerit, quam discipulos, vel sectatores haberet, verisimile est, hortum illum, etiam cum solus esset, possedisse. Adde ex eadem vita Hilarionis colligi hanc fuisse consuetudinem monachorum illius temporis, quam bene declarat lepidum illud exemplum duorum Monachorum, ad quos Hilarion vitandi causa omnes Patres aliquando dmerit cum sociis. Quorum alter cum vineam haberet, diligenter eam custodiri fecit, ne ab hostibus tangeretur, quod ita factum est. Alter vero Sabas nominatus, vineam etiam habens, omnes Monachos ad eam depascendam inuitauit. Erant autem qui vescebantur non minus tribus millibus; cumque conueniret agena estimata fuisse integra adhuc vinea, si dicitur vigin. trecentas fecit, porro ille parcus frater multum nus solito colligens et am id, quod haberetis ve sum in imponunt singulos Monachos habuisse aliquas posse illuculas, vt proprias, vel in rebus mobilibus, Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.*

vel in immobilibus. Et similia sumi possunt ex vitis Patrum p. 2.

Vt explicemus quod in hacre probabilius apparet, supponendum est, quatuor modos paupertatis intelligi posse in viro religioso (agimus autem de paupertate particularis personæ, vt talis est, nam de paupertate communitatis, & personæ, vt est pars illius, infra dicturi sumus.) Primus modus, seu gradus est eius, qui nec licet, nec validè habere potest dominium alicuius rei, neque illa tanquam propria vti, quem gradum paupertatis, nunc seruant omnes, qui emittunt votum solemnè paupertatis. Secundus gradus erit eius, qui non possit licet habere proprium dominium alicuius rei, neque etiam vlla re tanquam propria vti, quamuis non sit incapax domini, qualis esset paupertas per votum omnino absolutum, & integrum paupertatis, si non esset per Ecclesiam solemnizatum, vt constat ex dictis supra de voto simplici paupertatis. Tertius gradus est, si quis, nec sit incapax domini, nec ex voto teneatur statim illo priuari, sed solum nulla re vt propria vti: qui gradus paupertatis inuenitur in religiosiis scholaribus approbatis Societatis Iesu. Quartus gradus erit, si quis ex voto non obligetur ad carentiam domini, vel omnis vsus rei vt propria; sed solum ad non habendum, nec quarendum temporalia bona vltra certam mensuram sufficientem ad sustentationem vitæ, iuxta aliquem honestum, vel perfectum finem sibi præscriptum. Hoc enim votum, & honestum, & possibile esse per se notum videtur.

Suppono secundo, aliquem modum paupertatis necessarium esse ad religiosum statum, atque adeo seruatum esse ab omnibus verè religiosiis, qui ab initio in Ecclesia fuere. Probat, quia supra ostensum est aliquam paupertatem voto consecratam esse de essentia status religiosi; sed in latitudine paupertatis voluntariæ nullus videtur posse excogitari gradus, qui sub aliquo eorum quatuor non contineatur, quia paupertas religiosa non potest excludere omne dominium, & omnem vltim rerum temporalium, quia talis paupertas voluntariè sumpta, non esset istatus religiosi, ordinatur enim ad diuinum obsequium; nemo autem posset Deo præstare obsequium, neque aliquid operari, si nec vsus rerum ad vitam necessariarum haberet. Hic ergo vsus obici non potest per paupertatem voluntariam, sed limitari, & ad eam mediocritatem reduci debet, quæ perfectum Dei obsequium non impediatur; non potest autem limitari, nisi aliquo ex dictis modis.

Illis autem omnibus commune esse debet, vt nimia superfluitas temporalium bonorum, quæ sollicitudinem, & distractionem secum afferre solet, auferatur. Quod si hæc tantum moderatio adhibeatur, constituetur quartus modus supra positus. Si autem moderatio non tantum adhibeatur in quantitate bonorum, vt sic dicam, sed etiam in modo, vt scilicet sit dependens ab aliena voluntate, etiam si dominium rei retineatur, constituetur modus tertius. Si autem non solum adhibeatur moderatio, & modus in ipso vsu, sed etiam dominium abiiciatur ex vi propriæ voluntatis, & promissionis, non adiuncta incapacitate per legem, constituetur gradus secundus; addita vero incapacitate constituetur primus. Omnes ergo morales modi voluntariæ paupertatis in particulari in illis continentur; nam si quis velit ex illorum commixtione, seu mutua participatione alios contingere, vel vitales, seu morales non erunt, vel ad illos reducentur; quod facile consideranti patebit; ergo necesse est aliquam paupertatem ex dictis

7.
Quatuor
gradus pau
peritatis.

8.

9.

in statu religioso profiteri. Potest autem inquiri, vel de possibili, quis illorum graduum sufficiat ad hunc statum. In quo nulla est quaestio de primo gradu (constat enim illum esse sufficientissimum) sed de tribus aliis; vel potest esse quaestio de facto, id est, de usu qui circa hoc in Ecclesia fuit.

ASSERTIO PRIMA.

Aliquando statum religiosum substantialiter constituisse in aliquibus cum paupertate, quae nec dominium, nec usum independentem excluderet, sed tantum usum rerum vitae superfluum probabile est.

10. Dico ergo primo probabile esse statum religiosum aliquando fuisse cum sola paupertate quarti generis, atque adeo illam esse sufficientem ad statum religiosum substantialiter constituendum. Priorem partem huius assertionis suadent duo prima indicia, quae superius adducta sunt, de religiosi antiquis, vitam omnino solitariam agentibus, vel ita priuatam, ut non essent partes alicuius communitatis; nam in illis non videtur habere potuisse locum alius modus paupertatis. Quod quidem quoad priorem partem confirmat dictum Augustini explicantis illud Matth. 6. *Nolite solliciti esse quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini*, lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 15. & 16. & lib. de operibus Monachorum cap. 23. & 26. Nam in priori loco ait, illud solum dici ne superflua quaerantur, nec etiam necessaria duplici eorde, id est, spiritualia propter illa quaerendo, & non potius e contrario. Posteriori autem loco eandem repetens expositionem addit; *Non ut ista non procurent quantum necessitati satis est, unde honeste potuerint, sed non ista inuicentur, ut propter ista faciant quidquid in Euangelii praedicatione facere iubentur.* Et in eodem cap. 23. ait, *Si verba illa ita intelligentur ut nihil in eis sit in reponatur, non poterunt ista seruari, qui se per multos dies a conspectu hominum separatos, & nulli ad se prebentes accessum, in ludum seipos viuentes in magna intensione orationum. Hi enim facillima quidem, atque vilissima, secum tamen alimenta includere consueverunt, quae in illos dies, quibus a nullo videri staturum, sufficienter, quorum exercitationem (subdit) non solum non reprehendo, sed quantum dignum est laudare non possum.* Quod si hoc dicit Augustinus de his, qui ad tempus illud vitae genus sumunt, multo magis illud probabit in illis, qui solitariam vitam perpetuo colunt, quos aliquem referuasse, & ad necessitatem vitae sustentationem habuisse, necessarium erat. Quod probat historia, quam refert Gregorius 3. lib. Dialogorum cap. 26. de Mena Venerabili, qui solitariam vitam ducebat, & ad usum suum nihil aliud, nisi pauca apium vascula possidebat, &c. quae mira virtute refert, & a latronibus, & ab vris fuisse custodita. Et deinde subdit illud solitum fuisse recipere quae a populis vicinis sibi offerebantur, ut haberet, quod ipse ad se venientibus offerre potuisset. De quibus rebus, & dominium, & liberam administrationem habuisse videtur. Alteram vero partem confirmat alia historia, quam de tribus sororibus amitis suis refert idem Gregorius homil. 38. in Euangelia, quas appellat Virgines sacras, *Vno* (inquit) *ardore conuersae, vno, eodemque tempore sacrae, sub disciplina regulari de, entes in domo propria socialem vitam ducebant, &c.* & tamen infra subdit de vna illarum Gordiana, *Conductorem agrorum suorum postmodum in maritum duxit, scilicet post sanctam aliarum mortem; habebant ergo agros in illa regulari vita.*

11. Ratione declaratur assertio, quia paupertas non est propter se necessaria ad perfectionem, sed solum

ut medium tollens impedimenta perfectionis acquirenda, scilicet, sollicitudinem, & affectum bonorum temporalium, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. quaest. 84. art. 3. & 185. art. 6. ad 1. & quaest. 186. artic. 3. & 7. ex quo infert quaest. 188. art. 7. non esse vnam, & eandem paupertatem in omni statu perfectionis necessariam, sed in vno quoque statu, illam quae suo fini fuerit proportionata, dummodo sufficiens sit ad tollenda impedimenta perfectionis acquirenda, alioqui non poterit esse proportionata ad aliquem finem specialem alicuius veri status perfectionis, nisi prius intelligatur sufficiens ad generalem finem, qui in quocunque statu religioso intendi debet. Sed cum possessione, proprietate, & usu aliquorum bonorum temporalium potest esse paupertas sufficiens ad finem perfectionis acquirenda, tam in genere, quam in aliqua certa specie. Ergo probatur minor discursu eiusdem D. Thom. in dict. artic. 7. Nam tria sunt impedimenta perfectionis, quae per paupertatem aufertur, scilicet, sollicitudo temporalium rerum, amor diuitiarum & elationis, seu gloriae vanae occasio. Hac autem duo vltima sufficienter minui possunt, vel impediuntur per magnam diminutionem diuitiarum, quae optime intelligi potest, etiam si aliqua bona temporalia ut propria habeantur. Nam, ut D. Thom. ibidem ait, illa duo non consequuntur nisi ex abundantia diuitiarum; si ergo votum paupertatis sufficienter auferat omnem huiusmodi abundantiam, & superfluitatem, & obligeat ad possidendum solum necessarium ad conuenientem usum, & statum, poterit ex hac parte esse sufficiens ad tollenda haec impedimenta perfectionis acquirenda, etiam si de illis bonis necessariis proprietates habeantur. Nam si quis impleat illud Pauli, *Habentes alimenta, & quibus regamur, hi contenti simus*, 1. ad Timoth. cum ea moderatone, quam illamet verba indicant, & perfectio inquirat. Si quis (inquam) hoc impleat, etiam si illarum rerum proprietatem habeat, quantum est ex parte materiae, & obiecti, non habebit occasionem inanis gloriae, aut nimii affectus diuitiarum. Dico autem, quantum est ex parte materiae, quia hanc solum occasionem minuit paupertas, qua non obstante potest homo ad minima nimium affici, & in illis inaniter gloriari; quod non solum contingit in his, qui proprietatem habent, sed etiam in his, qui solo usu debent esse contenti, ut est apud Cassianum collatione 4. cap. 20. & 21.

At vero primum impedimentum, scilicet, sollicitudo, (ait ibidem D. Thom.) non potest omnino auferri, quia sicut non possunt homines sine his rebus temporalibus vivere, ita nec omnem illarum sollicitudinem, vel potius curam ac providentiam omittere, quia sine hac cura etiam necessaria deficient; ergo si paupertas talis sit, quae hanc sollicitudinem sufficienter moderetur, quantum non omnino auferat, poterit esse sufficiens ad perfectionem acquirendam; sed non obstante proprietate paucorum, & necessariorum rerum, potest esse multum moderata haec sollicitudo, ita ut non impediatur perfectio. De famulatum; ergo potest esse talis paupertas sufficiens ad statum perfectionis. Minor patet ratione generali, quia si desit sollicitudo querendi plura ad regendam, & conseruanda solum ea, quae necessaria sunt ad vitam, pauca sollicitudo sufficit. Deinde in particulari declaratur exemplis supra positus; nam si quis proficatur vitam solitariam, & contempnaturam, & paruum habeat possessionem, cuius ipsemet curam gerat, sine magna distractione, vel sollicitudine poterit inde sustentari. Idem esset si haberet certos redditus moderatos, quibus necessaria vitae sibi compararet. Item intelligi possit, nulla habens bona immo-

immobilia, seu stabilia, sed ex fidelium oblationibus, seu elemosynis viuens, eorum tamen, quæ sibi darentur, dominium, & proprietatem acquirere; nam ex hoc nulla sollicitudo ei accresceret, sed maior ponenda esset in elemosynis querendis, quæ sollicitudo non est contraria perfectioni. Idem modus paupertatis intelligi posset in prædicatore Evangelico perfectionem tenera proficiente, qui ex voto, & animo contentus esset necessariis ad vitam; & ad vestitum moderatum, & suo statui proportionatum, qui ex bonis propriis partem ad hunc finem necessariam, sibi reseruaret, ne aliis molestus esset, vel ne licet gratia euangelizare videretur; sic enim Paulus nolebat necessariam accipere ab his, quibus prædicabat, ne eos offenderet, laborabatque propriis manibus ut se sustentaret, Act. 20. 1. ad Corinth. 9. vnde non sine aliqua sollicitudine alebatur; si ergo alius prædicator vel nesciret manibus laborare, vel ei non vacaret propter studium, vel contemplationem sibi necessariam, possetque ex propriis bonis modica sollicitudine sustentari, non videretur id repugnare perfectioni, si ex voto paupertatis circa omnia alia omnem occasionem maioris sollicitudinis excludat. Atque in hunc modum exposuisse videtur author imperfecti, illa verba Matth. 6. Noli sollicitus esse, dicens, sufficit labor quem paratis propter necessaria, noli de superfluis laborare: & recte Maldonatus, Non omnem prohibet sollicitudinem, sed eam, quæ ex dissidia erga Deum proficitur, & eam quæ a deseruitate hominem distrahit, & eam quam seruus erga dominum habet; præmiterat enim, non potestis seruire, Deo, & Mammonæ.

Sed inquit D. Thom. citato loco hæc vera esse de sollicitudine, quæ adhibetur circa res communes; non vero de illa, quæ adhibetur circa bona propria; quia sollicitudo circa bona communia pertinere potest ad charitatem, quæ est finis perfectionis; sollicitudo autem circa bona propria pertinet ad amorem priuatum, quo quis se temporaliter amat, & ideo habere aliquid proprium, perfectioni religiosi status repugnat. Respondetur primo hanc rationem ad summum procedere quando diuitiæ propriae sunt abundantes ultra id quod ad sustentationem vitæ necessarium est. At vero de necessariis non videtur ratio efficax, tum quia sicut conseruare vitam, & id velle, ac intendere, non est alienum à perfectione charitatis, ita nec sollicitudo earum rerum, quæ præcisè ad hunc finem necessariae sunt, tum etiam, quia sicut ipsa vita amari potest, & debet propter diuinum famulatum, maxime ab eo qui perfectionem proficitur; ita sollicitudo rerum temporalium ad conseruandam vitam propter eundem finem in eodem statu assumenda est, & sic non pertinebit ad amorem priuatum, sed ad amorem charitatis. Secundo addo etiam si diuitiæ sint abundantes, & maiorem aliquam sollicitudinem requirant, posse nihilominus sollicitudinem illam non esse ex amore priuato, sed charitatis, si tantum ad pietatis opera destinetur, quidquid ex eis ultra necessaria ad vitam abundauerit. Vnde si quis in priuato statu perfectionis hanc finem vitæ actiue sibi proponeret, non esset alienum à perfectione illius status abundantioris diuitias in eo retinere, & paupertas talis status posset in duobus consistere, primo in intentione, & obligatione non habendi illas, nisi ad hunc finem sustentandi se, & benefaciendi proximis, vel aliis modis colendi Deum, & honorandi sanctos. Secundo in intentione, & obligatione non querendi illas negotiatione, & sollicitudine, quæ implicent negotiorum secularibus. Sic enim sollicitudo quæ adhiberetur circa talia bona, licet forte impediret altiorum gradum perfectionis, qualis est in contempla-

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

tione, vel spirituali auxilio proximorum, non tamen impediret absolutè perfectionem charitatis, sicut in simili dixit D. Thom. citato loco. Vnde potest tandem confirmari conclusio. Nam hæc paupertas, quæ variis exemplis declarata est, reuera est satis magna, & comprehensa sub Christi consilio; satis enim videtur omnibus renuntiare qui nihil sibi reseruaret, nisi quod ad vitam necessarium est; ergo ex hac parte sufficit ad constituendum statum perfectionis; & aliunde ex parte finis non repugnat, ut est ostensum; ergo absolutè sufficit.

ASSERTIO SECUNDA.

Probabilius est semper vixisse in Ecclesia paupertatem in statu perfectionis, quæ excluderet usum rerum independentem à religiosis.

Nihilominus dico secundo, probabilius est semper fuisse in Ecclesia vstatum, ut in statu perfectionis paupertas esset per abdicationem proprietatis, saltem quantum ad usum, atque id est moraliter necessarium ad proprium statum perfectionis. Hanc assertionem, quatenus traditione, & autoritate probari potest, suadent quæ in principio huius capituli adducta sunt, & quæ de antiquitate voluntariae paupertatis supra, tractando de votis simplicibus adduximus. Nec dubitari potest, quin paupertas excludens aliquam proprietatem omnium bonorum temporalium, sit magis consentanea consiliis Christi, nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, & exemplis Apostolicis, Ecce nos reliquimus omnia; & consuetudini primitiue Ecclesie, quando erant illis omnia communia, cum expositionibus, & sententis Patrum, quas circa rem hanc in superioribus adduximus.

Secundo potest explicari ratione sumpta ex D. Thoma quæst. 188. art. 7. quia paupertas non solum est necessaria ad perfectionem propter minuendam sollicitudinem, & affectionem ad bona temporalia; sed etiam propter perficiendam illam, si quæ fuerit necessaria, id est, ut non ex amore priuato ac temporalis, sed ex charitate adhibeatur: sed ad hunc finem maxime confert paupertas, quæ proprietatem aliquo modo excludat: nam quandiu res possidentur, & tractantur ut propria, etiam amatur ut propria, & consequenter fit tum ut amor non sit adeo purus, & spiritualis, tum etiam, ut non sit adeo moderatus, & independens, sicut in viro perfecto, vel tendente ad perfectionem esse debet. Et quantum visum sit, hoc non esse ita necessarium, quin possit is, qui habet aliquid proprium, non amare illud amore proprio, inordinatè vel imperfectè, tamen non est dubium quin illa proprietas aliquam huic amori præbeat occasionem. Et ideo licet illa proprietas absolutè non repugnet perfectioni personali, videtur tamen multum repugnare statui perfectionis, ad quem maxime spectat huiusmodi occasiones auferre: vel saltem certum est cæteris paribus hoc ad maiorem perfectionem pertinere. Non videtur autem minus certum, statum perfectionis semper fuisse in Ecclesia cum illo modo paupertatis, qui ad finem acquirendæ perfectionis, per se ac moraliter magis expediens est, & aliunde non habet repugnantiam, sed potius maximam conuenientiam cum illo statu, qualis est hic modus paupertatis, per abdicationem proprietatis. Quis enim dubitat statum hunc, habuisse maximam perfectionem in Apostolis, & in sectatoribus eorum, quorum series, & successio nunquam in Ecclesia defuit?

Tertio explicatur assertio discussa facta per varios status vitæ perfectionum, seu tendentium ad

perfectiorem, respondendo simul obiectionibus factis, quatenus huic assertioni ob stare possunt. Primus gradus est eorum, qui vitam omnino solitariam assumpserunt; in quibus nullus modus expropriationis videtur possibilis, saltem quantum ad eas res paucas, & viles, quas possidebant, quibusque utebantur. Sed in his duo considero. Primum est, in eo statu potuisse habere, & seruare votum, nullum habendi dominium talium rerum, ideoque verisimile esse illud habuisse. Primum ita declaratur, quia dominium in actu non comparatur, scilicet sine consensu propriæ voluntatis, quia tota potestas dominandi in libertate posita est, & ideo nullus capax libertatis fit actu dominus rei, cuius antea non erat; sine consensu propriæ voluntatis. Vnde fit, ut licet aliquis accipiat aliquid ad suum usum, si non habeat affectum, & consensum formalem, vel virtutalem acceptandi dominium eius, non acquirere illud; vnde licet axioma Iurisperitorum, & Theologorum habeat, dominium rei, quæ nullus erat, acquiritur primo occupante, intelligendum id est, si fiat animo, & intentione comparandi dominium eius iuxta aliud principium, actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Sic ergo in his viris perfectis, qui vitam omnino solitariam à principio, ac semper professi sunt, intelligere possunt hac moderatone animi fuisse vltos rebus omnibus, ut solum commoditatem necessariam, non proprietatem in eis vellent, & ita potuerunt actu catere semper dominio rerum. Nam in principio quando conuertebantur, renuntiabant omnibus, quæ antea habebant; earum vero, quas postea ad vltum continuum, vel donatas accipiebant, vel ex eorum agris, aut montibus accipiebant, poterant semper usum tantum accipere, ut explicatum est. Quod autem ita fecerint, per se credibile est, erant enim viri perfectissimi, & sine dubio obseruabant, quod scriptum est à Paulo, 1. Corinth. 7. *Reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint; multo ergo magis quascunque res alias; vnde subdit, & qui emunt tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur;* ita ergo utebantur illi sancti suis rebus, tanquam non habentes illas quoad dominium, non solum quoad affectum, id est, quia non inordinatè illas diligebant; sed etiam quoad effectum, nimirum, quia solum ex illis volebant, quod necessarium erat, scilicet usum, non autem proprietatem. Nec multum speculati necesse est, an ipsi hæc ita expresse cogitauerint, ac distinxerint, nam satis est quod practicè habuerint animum renuntiandi omnibus, & solum vti rebus necessariis ad vitæ sustentationem. Vnde etiam fit verisimile hunc affectum voto firmasse, nam intelligebant, & esse Deo gratius, & ad firmandum suum propositum, & statum vtilius, vnde cum maximum habuerint desiderium perfectionis, verisimile est coluisse totam hanc perfectionem paupertatis, quæ in illa solitudine non repugnabat. Quod facile intelligere licet in his religiosis, qui post cœnobiticam vitam in solitudine terræ, aut arborum, vel ex fluminibus, aut quocunque alio modo necessaria vitæ accipiebant, id enim faciebant sine affectu repugnante voto paupertatis quod secum deferbant. Ita ergo intelligi potest etiam in his, qui à principio solitudinem amplexi sunt.

17. Difficilius autem in eo statu intelligi potest vsus non proprietarius. Et circa hoc considero secundo, hunc statum vel non fuisse propriè, ac formaliter religiosum, ut sentit Gratianus in §. *contra*, post cap. *perlatum*, 19. quaest. 3. vel non potuisse omnino carere obedientia religiosa, vel obligatione eius, ut ex

superius dictis in generali de statu religioso intelligi potest, & magis explicabitur infra descendendo ad particulares diuisiones huius status. Eo ergo modo, quo illi viri habebant obedientiam, vel eius usum; poterant etiam habere, & sine dubio habebant, usum rerum, non proprietarium; si autem credebant subordinatione obedientiæ, mirum non est, quod & proprietarium usum habere possent, quia propriè, & formaliter statum religiosum non habebant, etiam si eminenti quodam modo, & in preparatione animi dici possint illud habuisse, ut infra cum D. Thom. explicabimus. Declaro singula; nam proprietarium usum appello illum, qui pendet ex sola propria voluntate, & non ex aliena, cui opponitur vsus communis, seu abque proprietate, qui est pendens semper à voluntate alterius. Quicumque ergo viuunt in obedientia religiosa, capax est huius posterioris vsus, & consequenter est capax illius paupertatis, quæ excludat omnem proprietarium usum. Si ergo in illa solitudine seruari poterat aliqua subordinatio obedientiæ, ut reuera poterat, vel ad aliquem Episcopum viciniorem, vel ad aliquem prelatum, seu Abbatem in proxima solitudine commorantem, ut de Antonio, Machario, & Pachomio legitur, in ordine ad eundem poterat rigorosus vsus paupertatis obseruari, ad quem generalis facultas expressa, vel tacita cum dependentia in preparatione animi sufficiebat. Si vero aliquis ita professus est solitariam vitam, & à principio nulli promiserit, vel seruauerit obedientiam, sed solum in actu Spiritus sancti gubernatus fuerit, ut, v.g. Ioannes Baptista, vel fortasse Paulus Primus Eremita, vel alius similis; tunc non video, quomodo in actuali vsu rerum poterit in re ipsa habere illam dependentiam, quæ tollit proprietarium usum; solum ergo possumus intelligere illam in preparatione animi, subiciendi se in hoc cuiuslibet homini propter Deum, si ad maius Dei obsequium, & ad maiorem sui perfectionem expediret; vel certè habendo illam dependentiam in affectu, respectu in actu Spiritus sancti, scilicet, non accipendi alium usum harum rerum, nec maiorem, nec meliorem, quam quod Deo gratius, & ad suam perfectionem vtilius esse sentient. Et hoc modo dicimus illum statum potuisse esse eminenti modo, & in preparatione animi religiosum, non tamen propriè & formaliter, ut nunc loquimur; nam sine obedientia speciali ad aliquem hominem loco Dei non constituitur hic status, ut supra dictum est.

Ex quo discutitur generaliter concluditur ratio, ob quam semper potuit in omni vero, ac proprio statu religionis obseruari propria paupertas, quoad usum non proprietarium; idque non solum magis conueniens, sed etiam moraliter necessarium esse ad debitum ordinem, & perfectionem talis status, ac proinde ita existimandum esse, seruatum semper in Ecclesia fuisse. Probantur omnia ex illo principio, quod in vero ac proprio statu religioso necessaria est obedientia subordinatio; vbiunque autem est hæc subordinatio, potest esse dependentia in omni vsu temporalium rerum à superiori voluntate; ergo etiam potest esse illa paupertas, quæ vetat usum rei, ut propria. Quæ illationes omnes ex dictis sunt notæ. Ex quo vltius per se euidens est, hoc esse conuenientius, & perfectius, tum quia interrationem obedientiæ erit maior, & perfectior subordinatio, si ad hunc etiam usum extendatur: tum etiam, quia intra latitudinem paupertatis, cæteris paribus, erit maior abdicatio earundem rerum. Quod autem sit etiam moraliter necessarium ad debitum ordinem, & perfectionem in vita quidem communis, est per se euidens, quia sequetur summa

confusio, & occasio multorum abusu in tali communitate, in vita autem priuata non est tam manifesta deordinatio, nihilominus tamen posset esse occasio & nimiae sollicitudinis, & multorum defectuum, qui facile committuntur per liberum vsum rerum temporalium.

Itaque, vt ad antiquum vsum reuertamur circa secundum iudicium supra positum de his, vel viris, vel factis virginibus, quae in priuatis domibus statim religioſum olim seruabant, si supponamus illud fuisse verè ac propriè statum religioſum, dicendum conſequenter est in eo statu ſeruatum fuisse, non habere proprium, ſaltem quoad proprietarium vſum. Probat, quia in tali ſtatu neceſſarium erat aliquod votum paupertatis, iuxta ſuperius dicta de ſtatu religioſo: aut ergo erat abſolutum votum de omnimoda paupertate, vt ſic hunc etiam gradum includebat; vel erat cum aliqua certa limitatione; & ſic nulla poterat eſſe commodior, & ſecutior, & ad perfectionem aptior, quam habere vſum rerum dependentem à voluntate alicuius ſuperioris, qui in tali ſtatu de eſſe non poterit; ſupponimus enim in eo fuiſſe obedientiae votum. Atque hoc ſaltem modo intelligi poſſet dictum à Hieronymo in epiſt. 8. ad Demetriadem, *ex eo tempore quo virginitati perpetua conſecrata es, tua, non tua ſunt, immo vobis tua, quia Chriſtus capereunt, quae aua viuente, vel matre, ipſorum arbitrio diſpenſanda ſunt: quauis ex verbis infra referendis incertum mihi ſit, an ſtatu Demetriadis eſſet verè religioſus, vel tantum ſtatu ſimplicis continentiae, qualis nunc à multis extra religionem ſeruatur. Similia etiam videntur verba illa apud eundem, epiſt. 13. ad Paulinum. *Tam non ſunt tua quae poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt.* Itaque ſi humilimoſi perſonae vouebant obedientiam Episcopo, prout verſimile eſt, ab illo, vel ab aliquo eius vices tenente dependentiam habere poterant in vſu rerum ſuorum; praeterim ſi in alios vſus praeter pios conuertendae eſſent; nam quoad eleemoſynas faciendas, & ſimilia opera, fortaſſe erat eis facultas conceſſa ex vi illius paupertatis, quam profitebantur: nam hac fortaſſe ratione dixit Hieronymus Paulino, *Diſpenſatio tibi credita eſt, praedixerat enim, praeter vſum, & veſtitum, & manifiſtas neceſſitates, nihil cuiquam eribus, ne filiorum panem canis comedant. Quem ſenſeris tibi aut ſemper aut vobis de numis loquentem excipia eleemoſyna, quae indiſtincte omnibus patet, inſtitorem potius habeo quam Mona. hum.* Et forte in eodem ſenſu dixit ad Demetriadem: *Sim autem obierit* (ſcilicet, aua & mater) *cum aetas maturior fuerit* (ſcilicet de tuis bonis) *imo quod Dominus imperat, ſcitur a nihil ſe habiturum niſi quod in bonis operibus erogauerit.* Maxime vero ſeruata fuit haec paupertas in Religionibus, in quibus in communi viuunt. Et de his praecipue loquitur Baſilius, Auguſtinus, & Benediſtus in principio capitis citati, magisque hoc ex dicendis conſtabit.*

ASSERTIO TERTIA.

Paupertatem, quae excluderet omnium rerum dominium, eſt ſi olim vſitata, non tamen omnino tempore, vel in omni ſpecie à religioſis obſeruata fuiſſe.

Dico tertio, licet paupertas quoad carentiam domini omnium bonorum temporalium fuerit ſemper in Eccleſia vſitata, non tamen videtur obſeruata in omni ſpecie, vel in omni tempore ſtatu religioſi. Hanc aſſertionem mihi probant, quae à principio pro vtraque parte adducta ſunt, propter quae, & propter alia multa, quae in hiſtoriis occurrunt, & coniectura ſuadet, exitimo varietatem circa hoc in

Er. Suarez de ſtat. lig. tom. 3.

Eccleſia fuiſſe, & vnum quidem ſic, alium vero ſic perfectionem voluiſſe, vnumquenque prout proprium donum ex Deo habebat, 1. Cor. 7. nam in ſtatu perfectionis latitudo eſt, quae vtrunque modum amplecti poſſit, & Chriſti conſilium ita eſt de exacta paupertate, vt aliam non reuocet. Poſſumus autem loqui de carentia domini quoad bona ſtabilia; vel etiam quoad mobilia; item de ſtatu religioſo in vita priuata, vel in communi. Quod ergo attinet ad bona mobilia, & ad ſtatu priuatae vitae, difficile profecto credi poſſet eos, qui ſtatu illum profitebantur, non habuiſſe dominium, ſaltem illarum rerum, quas ipſo vſu conſumebant: quia illi Religioſi non erant partes alicuius communitatis, apud quam poſſet eſſe talium rerum dominium; ille autem exquiſitus modus vſurpandi vſum ſine domino, quem in perfectiſſimis viris ſolitariam vitam agentibus conſiderabimus, non eſt facile tribuendus omnibus ſceminis, aut viris, qui ordinariam vitam religioſam priuatim ſeruabant, quia non omnes habebant tam puros, & perfectos affectus; nec verſimile eſt ex voto ſe obligari ad illud genus paupertatis. Poſſet autem dici talium bonorum dominium fuiſſe tunc apud Eccleſiam, cuius illi religioſi ſubditi erant, & adminiſtrationem principalem fuiſſe apud Episcopum, cui ſubiciebantur, eos vero tantum habuiſſe actuale vſum de licentia eius. Veruntamen licet hoc contingere poterit, non tamen poſſet cum ſufficienti fundamento aſſertari, & praeterim de omnibus, qui huiuſmodi ſtatu priuatae continentiae, ac religionis aſſumebant, quod à fortiori intelligi poſſet ex adductis ſupra poſteriori loco, & patebit etiam ex ſequentibus.

Nam ex antiquis etiam hiſtoriis colligi poſſet in eodem ſtatu haberi poſuiſſe bona ſtabilia, quoad proprietate, & dominium; hoc enim probat exemplum relatum ex Gregorio de Gordiana, quae dum erat ſanctimonialis, habebat conductorem agrorum ſuorum. Item quod Hieronymus ait de Demetriade, quam ſignificat futuram fuiſſe haredem matris, & auae, ſi antea deficerent, & tunc habituram liberam diſpoſitionem rerum ſuarum, ſaltem quoad opera pietatis, & infra concludit: *Hac ad virginem diuitem, & virginem nobilem ſum loquutus.* Fateor tamen mihi non ſatis conſtare, an ſtatu illarum ſceminarum fuerit verè religioſus; ſi vero nihil aliud repugnet, non videtur id negandum propter hanc ſolam conditionem. Nam & Hieronymus, & Gregorius ſupponunt, illa conditione non obſtante poſuiſſe ſceminas illas verum perfectionis ſtatu profiteri. Quod ego intelligo ita eſſe, quia ex vi illius ſtatu tenebantur ad moderatum vſum talium rerum, quas ſimul cum perſona per aliquod votum Deo obtulerant, ſaltem per voti obligationem, & dependentiam ab aliquo cui obedire tenebantur. Faciunt etiam ad hoc confirmandum multa exempla, quae ſuperius adduxi. Coniectura etiam eſt, quae non oportebat, vel etiam ſaepe non expediebat, in illo ſtatu viuere ex eleemoſynis, quod in ſceminis, & virginibus certius eſt; ergo oportebat eas habere aliquos certos redditus, vel poſſeſſiones, ex quibus alerentur: ergo illarum dominium, & proprietatem manere poterant in talibus perſonis, quia non habebant corpus religionis, in quod tranſirent: nec poſſet cum fundamento dici tranſiſſe ad Eccleſiam, vel ad pauperes, aut aliquid ſimile, quia hoc non habet fundamentum, nec eſt verſimile, cum de illis bonis teſtari poſſent, vel iure haereditario in eis ſuccedere.

De aliis autem religioſis, qui vitam communem in cenobiis, & conuentibus profeſſi ſunt, verſimilius eſt, regulariter loquendo, eos non habuiſſe do-

*Diſtinſio
Præmi-
tenda.
Dominii
bonorum
mobiliu
apud Epi-
ſcopum
fuiſſe eſt
probabili-
ſſum apud
ipſos re-
ligioſos pri-
uatos.*

21.
*Dominii
rerum ſta-
biliu
apud ipſas
mot priua-
tas poſſe-
nas eſſe,
probabi-
liu eſt.*

22.
*Quid de re-
ligioſis in
minium*

23.
non enim
ante videri
debent
etiam.

minium aliquarum rerum stabilium, vel mobilium, quia in his religionibus vitatum semper fuit renuntiare in principio omnia, quae antea possidebantur, vt patet ex Basilio, Augustino, Cassiano, Benedicto, locis supra citatis; postea vero non erat illis necessarium aliquid de nouo acquirere in proprium dominium, neque hoc erat consentaneum statutorum, nec voto paupertatis, quod emittebant, saltem in hoc sensu, vt sine facultate superioris, nihil huiusmodi retinere, aut habere possint, vt ex praedictis Patribus colligitur. Nihilominus tamen verisimilius videtur, non repugnasse semper illi statui habere huiusmodi dominium, & proprietatem, vel validè, vel etiam licet ex licentia praelati, iusta causa concessa; quod ex sequenti assertione clarius constabit.

ASSERTIO QUARTA.

Paupertatem, quae reddat religiosum incapacem dominii, non fuisse a principio usitatam in Ecclesia, sed postea introductam.

23.

Dico ergo quarto, paupertas, quae reddat hominem incapacem dominii, non fuit in principio usitata in Ecclesia in aliquo statu religioso, sed postea iustus de causis introducta est. Prior pars probari potest ratione sumpta ex dictis, quia haec incapacitas non inducitur ex natura rei, vnde neque est proprie materia voti paupertatis, quantumcumque enim quis velit se priuare habilitate quam habet ad dominium, non poterit, & ideo per se, & ex natura rei non potest id vouere; non est ergo per se materia voti, sed potius est effectus voluntarij vouenti, qui volendo causam, vult effectum. In primitiua autem Ecclesia, quantum esset in visu votum paupertatis perfectissimum, nondum tamen erat haec institutio, nullum enim illius vestigium in illa antiquitate per plures annos inuenimus. Nec ex sola ratione, aut perfectione talis status colligi potest. Primo, quia Christus Dominus perfectissimum statum religiosum habuit, & perfectam paupertatem, quoad abdicacionem huiusmodi rerum temporalium, saltem pro aliquibus temporibus habuit, vt declarat Nicolaus IV. in cap. eccid. de verb. significat. in 6. & a nobis latius tractatum est in 2. tom. 3. p. disp. 28. sectione 2. Nemo autem haec enus dixit, nec cum probabilitate cogitari potest illum fuisse incapacem dominii; quis enim illum incapacem redderet? vel cur ipse voluntariè hunc defectum assumeret, qui neque ad exemplum, neque ad aliquam operum perfectionem illi necessarius erat, cum facile posset non acceptare dominium quando non expediebat, etiam si illius capax esset.

Christus
habuit per-
fectissimam
paupertatem,
non
tamen fuit
incapax
dominii.

24.

ad idem,
de Apo-
stoli en-
dum quo-
ad bona
stabilia.

Præterea idem videtur de Apostolis sentiendum; nam licet reliquerint omnia, & voto se obligauerint ad paupertatem; non tamen est verisimile eos factos esse incapaces dominii: imo non defunt Catholici, qui existimant, Apostolos, etiam post vocationem ad Apostolatam habuisse proprium aliquarum rerum stabilium dominium, propterea quod Petrus Matthæi 8. & Luc. 4. legatur habuisse dominium postquam relictis omnibus sequutus fuerat Christum. Quam expositionem referens Maldonatus eam haereticis tribuit, & grauius reprehendit Catholicos, qui eos imitati sunt, quia non oportet dominum illam vocari Simonis, quia esset dominus eius, sed quia vel antea fuerat, vel quia in ea solitus erat habitare. Sed licet hoc probabile sit, & facile possit sustineri, non video tamen in illa expositione et-

rorem, vel inconueniens aliquod seclusa praua intentione haereticorum; nam sicut Petrus tunc habebat uxorem, quoad vinculum, quam nihilominus comprehendit, cum dixit se reliquisse omnia, vt sancti interpretantur, quia reliquerat illam, quoad usum, & quoad animum, eum obligatione non amplius accedendi ad illam; ita quantum adhuc tunc retineret proprietatem, vel dominium domus, nihilominus verè dicere potuisset, illam cum aliis bonis reliquisse, quia quantum in ipso erat, reliquerat illam uxori, vel parentibus cum obligatione, non usurpandi amplius, vel non retinendi illius dominium, quia non videtur necessarium, vt exteriori actu transferret dominium in alium, & alius acceptaret, quod tamen oportebat fieri, vt abdicaret à se dominium, si antea illud habebat.

25.

Nihilominus prior expositio simpliciter magis probatur, quia & magis pietatem fouet, magisque aliena est ab erroribus haereticorum, & conferendo loca Scripturae in rigore est magis consentanea proprietati verborum eius. Sic etiam quod de Ioanne Euangelista legimus Ioan. 19. accepisse B. Virginem in sua, vt Graeci codices, & vulgata Latina emendata legit, aliqui ita exponunt, id est, recepit illam in suam domum, seu in propria bona, vt nimirum ex eis illam aleret; cui expositioni assentire videtur Cardinalis Baronius 1. tom. anno Christi 34. num. 21. dicens Euangelistam Ioannem, etsi pifcator fuerit, ditiorum alius Apostolis pifcatoribus fuisse, habuisse quae Hierosolymis domum, in quam post Christi passionem Dei genitricem recepit, propter ea quae de domo Ioannis Euangelistae refert Nicephorus lib. 1. Historiae cap. 28. & Cedrenus in Annalibus; sed illae historiae quoad hanc partem non faciunt fidem, vt in sectione 3. attingam, & verba ipsius Ioannis non cogunt. Nam Patres hanc expositionem non admittunt. Sic enim interrogat Ambrosius in exhortatione ad Virgines, *Quomodo in suam, cum ipsi Apostoli dixerint, ecce nos reliquimus omnia?* Et respondet in spirituali sensu explicando illa verba, recepit Ioannem beatam Virginem in suam, id est, inter spiritualia bona quae erant propriae Apostolorum diuitiae. Magis vero ad literam D. Thomas cum Augustino ibi tract. 119. *Accipit (inquit) illam in sua, non pradia, aut possessiones, sed officia, quibus ei diligenter, & reuerenter obsequabatur.* Quamuis autem verum sit ex his locis non colligi Apostolos eo tempore habuisse aliquam possessionem propriam, potest tamen ex authoribus, qui haec testimonia tractant, non obscurè intelligi eos non fuisse illius incapaces, quantum ex propria voluntate illis carebant.

26.

De bonis autem mobilibus multi verisimiliter credunt non solum potuisse, sed etiam habuisse aliquando priuatum dominium, vt vestimentorum quibus tegebantur, aut gladii, v. g. quod Petrus habebat, quando illi Christus dixit, *Mitte gladium tuum in vaginam;* & quando per mundum dispersi euangelizabant, & ad victum, & vestitum elemosinas accipiebant, credibile est earum dominium comparasse, quia ea intentione dabantur, & illi simpliciter accipiebant, ergo apud eos manebat dominium, quia nec tunc erat ius conditum, cuius virtute transferretur dominium in alium, vel in aliquam communitatem. Nec cogimur dicere, eos semper habuisse hanc intentionem, quia nihil ad eorum perfectionem referre videtur. Sic etiam quando Paulus propriis manibus laborabat, vt sibi necessaria compararet, quid obstat quominus dominium illius lucrifacere quaesieret? vel ad quem transferretur dominium illud, si in Paulo non erat? Video multo facilius de Apostolis dici posse, quod de viuis solitariis supra dicebamus, semel habuisse animum nihil de rebus temporalibus.

potestibus accipiendi, nisi usum necessarium, & illud propositum nunquam retractasse. Dicitur etiam potest ex Christi institutione Collegium Apostolicum nihil habuisse, nisi in communi; & singulos Apostolorum vultisse eam paupertatem perpetuo seruare; nihilque ut perpetuum unquam accipere, vel habere, sed solum nomine totius collegii, vel potius totius Ecclesiae, & pauperum eius. Et hoc quidem mihi etiam verisimile est, tamen inde non inferitur incapacitas domini, vt ex dictis patet, nisi quis forte addat, Christum sua autoritate fecisse illos incapaces. Sed hoc qua facilitate dictum fuerit, contemnetur, quia nec testimonio aliquo ostendi potest, neque probabili coniectura, quia hoc ad Apostolorum perfectionem nihil pertinebat, parumque necessaria tunc erat, quando in tota Ecclesia omnia bona erant communia, vnde fortasse, vt infra dicam, ob temporum, & hominum imperfectionem, & infirmitatem haec introducta est conditio.

Idem ferè dicitur fieri potest de Monachis, qui in solitudine vivebant, siue omnino solitarii essent, siue in al qua societate eiusdem eremi, ita tamen, vt in singulis cellulis separatim habitarent, propria pecunia habentes, de quibus dispendere poterant, habent in usus pios, & ex licentia superioris. Nam illos fuisse capaces domini, imo, & illud habuisse, salua sufficienti paupertate, & perfectione, videntur pertinere ad vltima indicia superius adducta. De aliis vero in congregatione viuentium probabilis apparet semper obiectum fuisse, vt nihil proprium haberent, neque habere possent, sine facultate praelati. Quod vero essent incapaces, nullo modo ostenditur potest; imo alia exempla in eisdem indicis adducta ex Augustino, Pachomio, & aliis, oppositum faciunt. Idem sumi potest ex Hieronymo Epistola 26 ad Pamachium, vbi dicitur signficari, se cum f. a. te Pauliniano habuisse dominium aliquarum possessionum, non obstante statu perfectionis, quem profitebantur, non quidem perpetuo, sed ad tempus spectando fortasse commodam occasionem illas vendendi, & erogandi pauperibus, vt latius expendam infra tractando de paupertate societatis. Nunc satis est ex illo loco plane colligi illud statum, quem sancti illi profitebantur, non reddidisse illos incapaces domini, imo nec obligasse illos, ad statim relinquenda omnia; nemo autem (credo) negabit statum Hieronymi fuisse verè ac proprie religiosum, cum ipse multis aliis locis, praesertim vero epist. 13. ad Paulinum, cum inquit, *Nos autem habeamus propofiti nostri principes Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilarios, Marthianos, &c.* Basilium etiam in regula ex futuribus, si atente legatur, significat, Monachum etiam post professionem potuisse eo tempore in patere haereditate succedere, & non dicit eo ipso fuisse solum transire in dominium Monasterii, sed ipsam religiosum debuisse de illa sancte disponere tanquam de re Deo consecrata.

ASSERTIO VLTIMA.

De tempore, quo haec solennitas voti paupertatis religiosae introduci coepit.

Vltimo ergo dicendum est, hanc solennitatem voti paupertatis, quod reddat hominem incapacem domini, à temporibus Iustiniani Imperatoris vniuersaliter esse introductam; an vero antea religio aliqua vel ex specialis concessione Pontificum, aut Episcoporum illam seruauit, mihi non constat. Prior constat, ex Authenticis eiusdem Iustiniani, in collat. 9. tit. 2. de Sanctissimis Episcopis, cap. 38. si quis mulier, & collat. 1. tit. 5. de Monachis, cap. 6. quod in scriptis, illud quoque, ex quibus sumpta sunt, lex supra munita, & lex ingressi, C. de Sacrosanctis Eccle-

siis, & lex nunc autem, C. de Episcop. & Clericis, vbi decernit per professionem Monachi omnes res eius fieri monasterii, etiam si expresse non donentur, *Et non erit* (inquit) *amplius dominus illarum vlllo modo.* Quod si quis dubitet, quomodo potuerint leges civiles aliquid de re quae merè spiritualis, & Ecclesiastica est, disponere; respondemus quaestionem esse generalem, quae de omnibus ferè legibus, sub praedictis titulis contentis, interrogari potest. Multi ergo credunt, Iustinianum ex consensu Pontificum illas condidisse, vel certe eas, quae in fauorem & bonum Ecclesiae cedebant, expresse, vel tacito consensu Pontificum admittas fuisse; huiusmodi vero esse has praedictas leges, constat expresse ex Gregorio, qui non multo post Iustinianum vixit l. b. 7. Epistolarum, Epist. 7. & habetur in 19. quaest. 3. cap. 7. vbi sic inquit, *Quia ingrediens in monasterium conuersendi gratia visceribus nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iura fiant, aperta legum definitione decretum est.* Hæc Gratianus. In fine vero Epistolae ita Gregorius concludit. *Alia igitur omnia quae ex testamento pronominae a Sircica detinentur, quippe quod nullum esse legalis sanctione permittitur; necesse est vt iuri monasterii fraternitatis vestra sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur; quia imperialis constitutione aperte sanctum est, vt ea, quae contra legem sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infesta habenda sunt.* Idem responsum Gregorii relatum est à Gregorio IX. in cap. 2. de testam. & in Concilio Oxoniensi l. V. tom. Conciliorum in cap. antepenultimo sic dicitur, *Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, quise, & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicauerunt, praesentis auctoritate definimus, vt nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum presumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.* Quod Concilium videtur etiam alludere ad superiora iura, quae sine dubio postquam fuerint condita, generali Ecclesiae obseruatione recepta sunt. Quod constare etiam potest ex Concilio l. l. & cap. *Cum ad monasterium*, de statu monachorum, & optime ex Concilio Tridentino, sess. 25. de regular. cap. 2. & iuxta hoc ius intelligendi sunt iuris interpretes, quoties dicunt votum paupertatis necessarium ad professionem, vel ad statum religionis, excludere, & proprium, & capacitatem propriam, vt videre licet in Hostien. Innocent. Panormit. & alijs in dicto cap. *Cum ad monasterium*; & ita etiam loquitur Nauarr. comment. 1. de Regularibus num. 15. versiculo, *Decimum octauum*, & num. 18. versicul. *Viginti tertium*, vbi etiam hoc votum requirit, ad constituendum statum religiosum; loquitur tamen, vt dixi, iuxta praedictum commune ius, non secundum intrinsecam necessitatem status religiosi. Ratio autem huius institutionis primaria est, quia licet hæc incapacitas simpliciter non sit necessaria ad perfectionem, quia sufficit actu dimittere omnia cum obligatione perseverandi in eo statu, nihilominus conferte potest, ad tollendam radicem omnem occasionem proprietatis; item propter maiorem quandam immobilitatem; ac denique, quia sicut religiosus per professionem definit esse sui iuris, & sub dominio religionis constituitur; ita conueniens est, vt accessorium sequatur principale, ita vt iure ordinario totum quod religiosus habet, vel potest habere, in Religionis dominium, aut ius transeat, si illa si capax.

Sed obicit potest primo, quia Gregorius post dictas leges Iustiniani refert, Gordiana & alias forores eius sanctimonialis habuisse proprium. Respondetur iam supra dictum esse, incertum nobis esse, an ista us illarum fecerint fuerit verè, & perfectè religiosus. Quod vero ad rem spectat certum est non fuisse in vita regulari communi, seu in Monasterio.

29. Obiectio prima diluenda.



nafterio aliquo, sed in priuata domo, & ideo personæ illæ, & omnes viuentes in simili statu sub prædictis legibus Imperatoris non comprehendebantur; nam illæ loquuntur solum de religiosis profitentibus in aliquo monasterio; quia uero nunc, & saltem a tempore Concilij Lateranensis sub Innocentio III. nullus est uerus religiosus, nisi uota emittens in religione approbata, ut constat ex cap. ultimo, de Religiosis domibus, & Nauarro, & alijs Doctoribus citatis, ideo iure communi generaliter uerum est paupertatem religiosam reddere incapacem dominij, quamuis hoc ius commune possit per speciale approbatum à Pontifice immutari.

30.
Instantia
duplex.

Sed instabis, nam idem Gregorius lib. 3. epistol. 6. loquens de quadam Petronina religiosa, ait, *Res suas omnes, quas habere potuit, licet sibi iure potuissent competere, tamen eisdem monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse.* Quibus uerbis significat potuisse bona illa retinere, si uoluisset, hoc enim indicant illa uerba, *licet sibi iure potuissent competere*, liberali tamen donatione eas dedisse monasterio. Et infra ait Agnellum quendam postea seduxisse illam religiosam, & de monasterio eduxisse, *Resque eius omnes tam proprias, quam eas, quas de parte patris ipsius habere poterat, abstulisse*: in quibus etiam uerbis significat Gregorius, feminam illam etiam post ingressam religionis habuisse res proprias, & ius ad hæreditatem paternam; cum tamen illud factum post tempora Iustiniani acciderit. Respondeo priorem partem obiectionis fundatam esse in æquiuocatione illius relatiui sibi: non enim referendum est ad præcedentia, sed ad subsequentia, id est, non ad Petroninam, sed ad monasterium, ita ut sensus sit, licet monasterio iure pertinerent, nihilominus ad maiorem cautelam, speciali donatione fuisse etiam collatas, ita intelligant glossa & omnes expostores in cap. Perlatum 19. q. 3. & ad hunc sensum confirmandum, expendenda est illa particula, *etiam specialiter donationis titulo*, &c. Nam respondet particula, *licet*, quæ præcessit. Sensus ergo est, licet monasterium haberet unum titulum, additum esse alium. Iuxta quem sensum fit potius ibi allusio ad ius introductum à Iustiniano Imperatore, quod iam erat receptum, & in praxi.

Responsio
ad primam

Vnde in posterioribus uerbis res propriæ uocantur, non quia tunc essent propriæ, sed quia fuerant. Significatur enim ibi, Petroninam, quæ ingressa est monasterium, aliqua bona possedisse, & ad alia habuisse tantum ius, quia adhuc erant sub potestate patris, cuius ipsa poterat esse hæres. Priora ergo uocantur ibi propria, ut distinguantur à posterioribus, non quia non iam essent monasterij. Et simili modo de posterioribus dicitur potuisse habere partem hæreditatis paternæ, quia iure originis ad illi pertinebat, quamuis per professionem iam esset in monasterium translata. Et ideo in fine indistincte præcipit Gregorius omnia illa bona restitui monasterio cum fructibus, & accessionibus eorum.

Ad secundam.

Tandem obiici potest, quia saltem ad breue tempus potest religiosus professus etiam nunc habere dominium; ergo absolute non est incapax illius. Antecedens colligitur ex prædictis legibus, & Authenticis, & ex cap. *Si qua mulier* 19. q. 3. ubi statuitur, si persona habens liberos professus fuerit religionem, priusquam de sua substantia disposuerit, possit postea illam inter filios suo arbitrio (seruatis scilicet alijs legibus) diuidere, legitimam partem monasterio referuando; ergo signum est adhuc retinere dominium. Respondeo primum inde non sequi huiusmodi religiosum retinere dominium, sed solum liberam administrationem iure concessam, quantum ad illum actum, quæ non repugnat uoto solenni paupertatis, ut late Nauarr. comm. 2. de regul. n. 16. & sequent. &

31.
Obiectio
secunda.

num. 57. Deinde dicitur aliquibus iurisperitis non uideri inconueniens religiosum professum retinere dominium ad breue tempus, ut uidere licet in Baldo, in cap. *Cum causa*, de re iudicata, uet. sic. *Quæro nunquid*, & Felino, & Decio in cap. *In presentia*, de probationibus. Quod si uerum est, est optimum signum illam incapacitatem non esse ex natura rei, sed ex iure positivo, quod potuit aliquem casum similem excipere, de qua potestate ego non dubito; non censeo autem huiusmodi casum esse admittendum, nisi sit iure expressus, quem ego hæcenus non reperi. Sed de hoc iterum redibit sermo.

Solutio
prima.

Hæc sunt, quæ de huius iuris origine inuenire potui, ex quibus in summa colligere possumus, varios gradus paupertatis, supra propósitos, uel omnes, uel certe plures illorum fuisse in usu in Ecclesia pro uarietate temporum, & statuum religiosorum, atque adeo hunc modum paupertatis, per solemne uotum, & incapacitatem proprietatis non fuisse semper, & in omni statu religioso obseruatum, maxime que uiguisse pro uniuerso statu religioso, in quo uita communis seruatur à prædicto tempore Iustiniani Imperatoris. De superiori uero tempore, quamuis certis indicijs constet non fuisse seruatum in omni statu religioso quoad prædictam incapacitatem, immo nee quoad omnimodam proprietatis, & dominij in particulari carentiam, non tamen ita mihi constat positue, ut sic dicam, ante Iustiniani tempora in nullo loco, aut in nullo statu religioso, fuisse in usu illud paupertatis genus, & ideo id definite affirmare non possum, sed solum ueluti negatiue dicere, non constare ex historijs, uel ex Sanctorum exemplis, effectum hunc uoti paupertatis habuisse alicubi hanc institutionem, uel effectum ante illa tempora. At uero post tempora Iustiniani non inuenio etiam religionem aliquam fuisse institutam in uita communis, que illam paupertatem non seruauerit, paulo enim post incepti religio Benedicti Beati, quæ semper paupertatem illam seruauit, & de posterioribus idem constat, & idem credendum est de Antiquioribus, quæ tunc erant in Occidentali Ecclesia; nam de Orientalibus, ut erat Religio Sancti Basilij, &c. minus certum id est; de nonnulla uero immutatione, uel modificatione, quæ circa hoc facta est in Societate quoad aliquam partem, seu gradum religiosorum eius, inferius suo loco dicemus.

CAPVT VIII.

Vtrum uotum Paupertatis excludens proprium in communi, liceat, uel expediat in Religioso statu.

Hæc quaestio non habet locum in illo statu religioso, qui priuatum, & extra communitatem statui posset, sola rei natura, uel solo diuino iure spectato, quem esse possibilem sæpe insinuatum est, & infra in proprio loco ostendemus: in illo enim statu non habet locum dominium in communi, quia nulla supponitur communitas in qua esse possit; & ideo si in tali statu paupertas existat, quæ proprietatem in particulari excludat, consensuens necessarium est, ut nullum dominium, uel in particulari, uel in communi relinquat, quamuis dicere possumus quoad priorem partem carentiam esse per modum priuationis, quoad posteriorem uero per modum negationis. De hac nihilominus paupertate ostendimus in superioribus, non solum licitam esse, sed etiam sub consilio, nec solum in proprio statu religioso, sed etiam in alio priuato uiuendi modo aliquod de illo statu participante seruati posse cum obligatione uoti simplicis.

Omnino ergo illo statu, in religiosa communitate duplex

31.
Ceterum
etiam.

31.
Quædam
procedunt
ad hunc
modum.